



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, 1657**

Decretvm I. De promulgatione Concilii Tridentini, Statutorum  
Provincialium, & eorum observantia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

## P A R S P R I M A.

## D E C R E T U M I.

*De promulgatione Concilii Tridentini,  
Statutorum Provincialium, & eo-  
rum observantia.*

**R**em non novam aggredimur, sed aliorum Sanctorum ac vicinorum Episcoporum exempla imitamur, nec non ipsius sacrosancti Concilii Tridentini monita, tanquam Ecclesiae Romanae Catholicae vere obedientis filius, merito obedientes sequimur. Decreta itaque ejusdem sacrosancti OEcumenici Concilii eò lubentius promulgamus, quod & ab universalis illa in Spiritu sancto legitime congregata Synodo, ad ebullientem & grafsantem in Germania nostra hæresim supprimendam, atque mores Ecclesiasticorum, pro nimum depravatos, expurgandos, remedia opportuna, ex instinctu Spiritus sancti indicata ab Adolpho Archiepiscopo suisque Suffraganeis, & Prædecessore Nostro, hujus Mindensis Ecclesiae Episcopo Hermanno, ac per suos Legatos, ad restaurandam conservandamque religionem, integratatem morum tam in Clero quam in populo, pietatemque Christianam reducendam, ut plurimum suggesta, ac ante ab eo in Concilio Metropolitanano, Anno M D XXXVI, pie ac prudenter concurrentibus ad id singulorum Suffraganorum & Prædecessorum Nostrorum votis & sententiis, sancte instituta inveniantur.

Accedit, quod Nos in eadem altissimi Episcopalis muneri sede, in pari, si non majori, turbulentio rerum statu prædominantis quasi hæresis positi, Clero Ecclesiarum Civitatis Nostræ Mindensis excepto, ab unitate fidei subditos omnes defecisse intelleximus ac recognovimus; ut non immerito cum Propheta querulari possimus: *Vinea nostra in Ægyptum translata est; vindemiariunt eam omnes, qui prætergressi sunt viam; exterminavit eam aper de sylva, & singularis ferus depastus est eam.*

Hinc jure, & Prædecessorum exemplo, remedia illa, à communi Ecclesiae Spiritu approbata ac demandata, apprehendimus; & per viscera misericordiae Dei obsecramus, ac in virtute sancte obedientiae mandamus, ut omnes tam salubria decreta, non solum recipiant, verum etiam observent, ac, quorum interest, observari faciant, ut, cum venerit Dominus vineæ, non inveniat amplius sicum infructuosam in vinea nostra, cui maledicat.

Præterea, simili ratione publicamus, publicataque observanda præcipimus, omnia &

singula Statuta Metropolitana S. Sedis Coloniensis; ad quorum observationis facultatem illa deuuo imprimi curavimus: mandantes, omnibus & singulis de Clero Nostro, ut non solum illorum copiam, verum & Decretorum hujus Nostræ Synodi Dicecesanæ, quæ simili-  
ter int̄ paucos dies typis evulgabuntur, intra terminum futuræ alterius Synodi, sibi pro-  
currer, diligenter penes se habeant, legantque;  
ut videre possint, quo gradi iplos oporteat,  
quo sequi, quo alios ducere, & statu suo nunc  
emendent quod destruxerunt, & reædificant  
bono virtutum odore quæ labi fecerunt vel  
permisérunt.

## D E C R E T U M II.

*A quibus & per quos professio  
fidei facienda.*

**A**d religionem Catholicam observandam A reducendamque utri nil salubrius aut com-  
modius inveniri potest, præsertim in iis qui  
aliis præsunt vel ad dignitates statumque al-  
tiorem promoventur, quam ut, qui corde cre-  
dunt ad justitiam, ore confiteantur ad salu-  
tem: hinc statuimus, ut nullus in Cathedrali  
nostra & singulis Collegiatis per Civitatem &  
Dicecesin Nostram, ad dignitates, Archidiaco-  
natus, Personatus, Canonicatus, Vicarias,  
Commendas, seu instituta, ut vocant, benefi-  
cia, tam curata quam non curata, admittantur,  
nisi professionem fidei præmitrant, coram  
Crucifixi sanctissima imagine, duabus candeli-  
lis in mensa vel altari, ac testibus præsentibus.  
Et, qui provisi de dignitatibus, quarum con-  
firmatio vel collatio ad Nos spectat, uti & in  
beneficiis curatis, coram Nobis aut Vicario  
Nostro in spiritualibus profitebuntur. De aliis  
vero dignitatibus, officiis & beneficiis in Ec-  
clesia Nostra Cathedrali vel Collegiatis provi-  
si, in manibus Decani & Capituli Ecclesie, ad  
quos spectat, antequam possessionem vel per  
se vel per procuratorem accipient, emittant.

Ablentes, qui per procuratorem ad posse-  
cionem pervenient, ad perceptionem fructuum,  
seu realiem residentiam, non admittantur,  
nisi eriant personaliter, licer per Procura-  
torem præstiterint, ipsi prætent.

Sub his etiam intelligimus Collegia Virgi-  
num; quarum Abbatissæ, Priorissæ, aliæque,  
dignitates ac præbendas obtinentes, ad hoc  
juramentum teneantur similiter. Ad idem te-  
nebuntur Monasteriorum & regularium Ordinum  
Prælati. Superiores etiam Religiosarum,  
antequam suis Officiis, & eorum subditis  
cum cura animarunt, aliisque publicis functio-  
nibus,

*Psal. 79.  
vers. 9.  
13, 14.*

*Math. 3.  
v. 10.  
Luca 13.  
v. 8.*

*Rom. 10.  
v. 10.*